

Ad

28

VIRUM  
NOBILISS. AMPLISS. & CONSULTISS.  
**D. GEORGIUM**

34

HÜBENERUM.

Patriæ Civitatis Thorunensis Cos. & Scho-  
larcham optimè merentem,

Iterum

S P O N S U M ,

Cum XV. Kal. Julii M.DC.LXXXI.

domum duceret

Pudicissimam & Elegantissimam

V I R G I N E M ,

**ANNAM REGINAM ,**

VIRI SPECTABIL. & CONSULTISS.

**D. SIMONIS BEHEM ,**

Reip. Patriæ Scabini Graviss.

F I L I A M ,

P I E T A S V O T I V A

Professorum Gymnasii ,

aliorumq; Docentium.

THORUNII imprimebat Christianus Bekk, Gymn. Typ.



Mnia, cui viduo perierunt gaudia vitæ,  
Qvæ primùm serus suppeditabat amor;  
Tempora nunc iterum serto cinguntur, Joq;  
Lætus, jo, magnâ voce, Hymenæ! canit.  
Maluerint alii vitam cum luctibus, E V A M  
Qvàm sibi constanti nectere lege novam:  
H U B N E R U S damnat, seu deserit hæresin istam,  
Qvoq; magis viduos juverit ire, docet.  
Res, ait, infesta est thalami consorte carere,  
Atq; diu orbatæ cernere signa domûs.  
Fallor, an hoc morte est crudeli abrumpere vitam,  
Qvam servasse decet, nec moriendo mori?  
O mihi dilectæ veniat, post fata maritæ,  
Altera in amplexus B A R B A R A læta meos!  
Annuit extemplo notâ bonitate precanti,  
Insuper & voto plus dedit alma T R I A S.  
Qualis erat qvondam blandorum mater amorum,  
Huic ubi poma dabat litigiosa Paris:  
Talis præ multis audit nova S P O N S A puellis  
B E H M I A, cui Charites, cui Cypris ipsa favent.  
Exorere alma dies; jam te Charitumq; lepores  
Et choreæ expectant & genialis amor.  
Phosphore prome diem: tardo cras esse licebit,  
Et duplici oppressum fallere nocte diem.

*Meliori affectu qvàm versu applaud.*

M. ERNESTUS König/  
Gymn. Rect.



Actenus innumeris duxisti tempora curie.  
Ut foret officiis Patria tuta tuis.

Tunz

Tum propriae momenta domus, propriosq; labores

Proxima cura tibi composuisse fuit.

Addiderant luctum vidui fastidia lecti

Et qui depressit pectora moesta dolor.

Jam cessare jube luctus, cessare labores,

Seu Patria hos iussit, seu dedit ipsa domus.

Hos alius pro te curarum perferat astus:

Tu nobis flamma nobiliore cales.

Nam simulac primum tibi conspexisse licebat

Formam vistuleæ, quæ tua facta, Dea,

Hos similes astris oculos, hunc frontis honorem,

Collaq; Sithoniâ candidiora nive;

Protinus in flamas abiisti, protinus illa

Fit desideriis unica meta tuis.

Tam cito non laedit Daphne Peneia Phœbum,

Non ita amat Phrygium fortis Elissa Ducem,

Pyramus haud tanto Thysbes ardescit amore,

Tam cito non Hector desperit Andromachen,

Quam tu nunc sentis subitas ardescere flamas

Hac simulatq; oculos pulcra puella subit.

Nam quæ trajectas populenter tela medullas,

Corporis egregiæ sunt animiq; faces.

Subjiciunt etiam stimulos utriusq; Parentis

Virtutes, & par prosperitate domus.

Hanc igitur cupide sequeris, precibusq; Parentes

Sollicitas, isthæc quæ tibi nupta detur.

Annuit arrisq; tibi promptissima Juno:

Non patiuntur enim tam pia vota moram.

Nunc igitur tibi plaudit Hymen, letamq; puellam

Tradit in amplexus deliciasq; Viro.

Jam gaudet virtus tenero conjuncta pudori,

Jam pietas thalamum cum probitate subit.

Sponsa

Sponsa pari par est jam nunc sociata marito,  
In fœdusq; pares jam coiere manus.  
Hac etiam paritas lectissima pectora junget  
Moribus ut semper sint animoq; pares.  
Quin etiam tales fas est sperare nepotes  
Qui poterunt vestrīs moribus esse pares.  
Nam subito virtute pari rapientur utringq;  
Post habituq; solo non nisi summa petent.

M. CHRISTOPHORUS Hartknoch  
Prof. Publ.

**E**stiva, Musæ, dicite carmina,  
Junctæq; Nymphis ter pede Gratiae  
Pulsate terram, fronte lætâ  
Duc Cytherea Venus choreas.  
  
**T**ædas jugales Par memorabile  
Accedit, arcti vincula fœderis  
Lucina sancit, svavioris  
Fert Hymenæus amoris ignem.  
  
**S**pousus celebri gente, VIRE inclytus,  
Urbis Senator præcipuuſ, suis  
Astræa mammis quem cibavit,  
Artibus ingenuis Apollo.  
  
**N**ostri benignus Gymnasi Pater,  
Scholarcha solers, Fautor & artium,  
Qvas in salutem Civitatis  
A tenera coluit Juventa,  
Post moesta caræ funera Conjugis,  
Post lacrymarum flumina, lugubres  
Post & querelas, orbitatem  
Porricit ex viduo cubili.  
Persa-

Persarum habetur rege beatior,  
Incedit ardens Numine Cyprio:  
Nam dulce Fautor Nuptiarum,  
Qui super astra sedet, levamen

Donavit Illi rursus, amabilem  
Formam Puellam, moribus integrum,  
Quae vel Jove ipso digna Sponsa,  
Associavit ei maritam.

Invenit Illam magnifica in Domo  
Clari BEHEMI, doctiloqvi VIRI,  
In Civibus qui primipilis,  
Lucida stella velut, coruscat.

Hoc Par sacratos nobile Conjugum,  
Auctore Christo, nunc thalamos init,  
Plaudamus ergo corde laeto,  
Et pia vota DEO feramus.

Miscentur ut nardo bene cinnama,  
Ut vina succis Massica melleis,  
Ut vitibus junguntur ulmi,  
Ut bene myrtus amat fluenta.

Sic Sponsa Sponsum diligit optima,  
Sponsusq; Sponsam diligit optimus,  
Concordia jungantur ambo,  
Qvos bene junxit amore JOVA.

Fæcunda coeli culmine sors EIS.  
Pluat Bonorum, conspicuus Torus.  
Sit prole pulchra, quæ decoris  
Moribus exhilaret Parentes.

Vivant

Vivant beati Nestoreos dies,

Vivant valentes robore corporis!


Sponso secundus sit secundus

Hic Thalamus, teneræq; Sponsæ!

Gratulabundus apposuit

WENCESLAUS JOHANNIDES.

Gymn. Therun. Prof. Publ.



Obilis HÜBNERUS privatus conjugé primā,

Jam reparat vidui vota secunda Tori.

ANNAM REGINAM, formā & virtute puellam

Præstantem ducit, copulat atq; sibi.

Filia cara audit magni de stirpe BEHEMI,

Est qui inter celebres gloria multa Viros.

Conjugium illorum Dominus sic dirigat, opto,

Ut sint unanimes, prolifici q; simul.

Hæc pauca gratulabundus  
adficere debuit

MICHAEL Vapzihni /

Cant. Mar.



Vid prodest homini tristem producere vitam?

Qvid juvat in viduo sic jacuisse toro?

Non est, qui recreet, cum cura domestica vexat,

Mulceat & svavi pectora mœsta sono.

Est igitur meritò tua mens, VIR CLARE, probanda,

Qvod tibi non placeat vita soluta jugo;

Sed positò tandem pulla cum veste dolore

Legitimi repeatas fædera casta tori:

Atq;

Atq; tibi socies præstanti corpore Nympham,  
Qvam decorat Pietas cum probitate pudor.  
Dulce hæc solamen seris Tibi præstet in annis,  
Sitq; tuæ Rectrix sitq; columna domus.  
Pronubus ipse DEUS, qvi vos conjunxit amantes,  
Dignetur vestro semper adesse toro.

Gratulab, adjecit

GEORGIUS LEHMANNUS,  
Gymn. Coll.

**D**um Curia, VIR MAGNE, noctes & dics  
Te impendis, alter ac velut  
Atlas labantem sustines Rempublicam,  
Res interim domestica  
Scitâ administratrice jam carent dia  
Sua damna sentit & gemit.  
Ait eviterna laus sacro sit Numini,  
Cujus pronœa noluit,  
Damno Tuo cum perpeti Te publice  
Servire, consumi domi,  
Fidam Tibi vite toriq; scilicet  
Sociam maritar denuo.  
Votum fero: Crescat per hanc domestica,  
Per Teq; Res stet publica!

PAULUS BRAMIUS, Pres. Clas.

**N**on semper gravidis velatur nubibus æther,  
Non semper valido fulminat igne Polus.  
Non semper rigido desævit frigore Bruma,  
Nec tegit æternâ torrida prata nixe.

Sic

Sic quoque non semper langvent praecordia luctu.  
 Gaudia quin nobis fert nova sapè dolor.  
 Idque doces fieri, multum venerande Scholarcha,  
 Luctus cum blandâ Conjuge ritè fugas.  
 Sis igitur felix lætâ cum Conjuge Consul,  
 Vestrâq; jam renovet gaudia quisque dies!

JOHANN BURSCHÖT.

**P**ERTESUS spoliati, AMPLISSIME SPONSE, cubilis,  
 Jam merito pangis pačta secunda tori.  
 Multa, etenim constat tibi, quod solamina sancto  
 Sint thalamo, quamvis crux mala turbet eum.  
 Hinc Tibi de BEHMI O legisti sanguine Nympham,  
 Quam virtus laudat, quam pietasq; tenet.  
 Quam simul egregiae commendat gratia formæ,  
 Et quæ Majorum stemmate clara nitet.  
 Jova Tuum thalamum numerosâ prole secundet,  
 Teg, Tuamq; tegat, Teg, Tuamq; beet.  
 Hec mea vota, piò quæ non nisi peccore manant,  
 Siut rata, sint sponsis grata, probata DEO.

Christophorus Woyt.

